

Johannes Comander¹⁾ an Vadian.*Cur. 1533. April 10.*

Der Process des Priesters von Chiavenna. Politische Nachrichten. Anhänger des Evangeliums in Italien.

Gratiam^{a)} et pacem per dominum Iesum. Adversa corporis valetudo et^{b)} temporis certa negotia, ut pluribus ad te scribam, vir eximie, non permittunt. Ecce tandem p̄sto, quod dudum promiseram: copiam scilicet ex ipso processu facinorum perfidi hominis, quæ iam multos dies apud me fuit; sed tabellarium non habebam, per quem ad tuam H(umani-tatem) mitterem. Cæsar ad suos properat; quidam iam solvisse asserunt, quidam vero nondum, sed in brevi, cum aura secunda spiraverit, soluturum. Pontifici rediturum se in Germaniam post triennium promisit. Apud Italos nihil agitur, quod scitu dignum sit, nisi quod evangelium Christi plurimos habet fautores, quamvis palam et libere nihil audeant. Crebras ad me dant epistolas; ego multos ad eos mitto libros Zvinglii, Oecolampadii, Buceri et similium; Lutheri etiam libros plurimum postulant. Ego vero, quantum possum, detrecto et caveo, ne ad eos veniant, propter dissidium, quod ecclesiæ obtrudit et fovet. Vale, vir cande. Ex Rhætorum^{c)} Curia, 10. Aprilis 33.

Tibi deditus *Ioannes Comander.*

P̄stanti doctoque viro doctori Ioachimo Vadiano, Sancto-gallensi consuli prudentissimo, domino suo observando.

a) „c“ für „t“. — b) „at“. — c) „e“ für „æ“.

1) Vgl. IV, Brief 468.